

EIVSDEM VITA.

Talis Erhardus eram natiuo CELLIVS ore,
 Lustra videns vitæ quinq; bis acta meæ.
 Vangionem addixit me sacra Moguntia Musis,
 Quàm mihi Mecænas, Patris ad instar, erat.
 Hinc Düffeldorffi Montensis in vrbe Ducatus,
 Infra Vbios, adeo nobile Gymnasium.
 Hac Oratores florebant, hacque Poëta,
 Philologi, Historici, Thæologi que Scholæ.
 Hic lustrum, studijs feruentibus omnibus, egi:
 Nec redij nulla cognitione domum.
 Deducor Sueuûm hinc à Mecænate Tubingam,
 Quòd tangens huius sidera nomen erat.
 Illa Magisterij me tunc ornauit honore,
 Esslingæ primùm cum Schola, peste, fuit.
 Et Contuberniûs tunc dedit illa regendi;
 Bisque tuli vndenis messibus illud onus.
 Moxq; Professore me deligit illa Latinum:
 Iamq; ter Autumnos me videt esse decem.
 Ordine me tandem non dedignata Senatus,
 Collegi membrum, Philosophia, tui.
 Virgilium, & reliquos Vates explano Latinos;
 Explico Romanos non minùs Historicos.
 Non me laudabo; (laus propria sordet) at, æque,
 Iudicio, Auditor, stabo, cadamque tuo.
 Grata mihi semper fuit Oratoria: traxit
 Inq; suum semper dia Poësis opus.
 Non mea (Liuor abi) magnis vel Regibus olim,
 Non mea Principibus displicuere metra.
 Si Deus annuerit, vesci me longiùs aurâ;
 Non (reor) hanc aliquà dedecorabo Scholam.